

CORPUS CHRISTI COLLEGE
Cambridge

FOUNDATION LICENCE

[E]dwardus dei gratia Rex Anglie & Francie & Dominus Hibernie Omnibus ad quos presentes littere peruenerunt salutem. [S]ciatis quod ad honorem dei & in augmentacionem cultus diuini necnon ad requisicionem dilecti consanguinei & fidelis nostri Henrici Ducis Lancastr[ie] concessimus & licenciam dedimus pro nobis & heredibus nostris quantum in nobis est dilectis nobis Aldermanno & fratribus Gilde preciosi corporis Jhesu Christi & gloriose virginis marie matris sue Cantebr[igie] quod ipsi in quodam mesuagio cum pertinencijs in Cantebr' quod sibi in feodo adquisiuerunt quendam domum scolarium Capellanorum & aliorum sub nomine domus scolarium corporis Christi & beate marie Cantebr[igie] per quendam magistrum eiusdem domus regend[um] iuxta ordinacionem eorundem Aldermanni & fratrum instituere possint & fundare perpetuis temporibus duratur[um] et quod ijdem Aldermannus & fratres mesuagium predictum cum pertinentijs dare possint & assignare predictis magistro & scolariibus habendum sibi & successoribus suis pro eorum habitacione imperpetuum. Saluis nobis & alijs seruicijs de mesuagio predicto debitis & consuetis, concessimus eciam & licenciam dedimus pro nobis & heredibus nostris quantum in nobis est prefatis Aldermanno & fratribus quod ipsi aduocacionem ecclesie sancti Benedicti de Cantebr[igie] cum pertinencijs dare possint & assignare predictis magistro & scolariibus habendum & tenendum sibi & successoribus suis imperpetuum. Ita quod ijdem magister & scolares ecclesiam illam appropriare & eam appropriatam in proprios vsus vna cum mesuagio predicto tenere possint sibi & successoribus suis predictis sicut predictum est tenore presencium similiter licenciam dedimus specialem Statuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponend[is] edito non obstante [N]olentes quod prefati Aldermannus & fratres vel heredes sui seu prefati magister & scolares vel successores sui ratione statuti predicti per nos vel heredes nostros inde occasionentur molestentur in aliquo seu grauentur. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes Teste me ipso apud Turrim London' septimo die Nouembr[is] anno regni nostri Anglie vicesimo sexto regni vero nostri Francie terciodecimo.